



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 35. Scriptum est enim percutiam Pæstorem & dispergenturoves gregis.  
v 32.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

ista nocte) quia ut dicit S. Hieron. quomodo qui inebriantur, sic & qui scandalum patiuntur in nocte & in tenebris sustinent.

**D**omine Deus, qui nunquam scandalum activum dedisti ulli hominum, da obsecro de tua plenitudine infirmo mihi hanc gratiam ut & ego conturber quoties audio vel scandalum fieri vel peccatum nominari: caveam vero ne ullus meo malo exemplo vel peccato scandalizetur, vel ad malum inducatur.

§. 35. *Scriptum est enim percutiam Pastorem & dispergentur oves gregis. v. 32.*

Dum ita turbatos discipulos Jesus videret ob verbum scandali, nescientes unde id posset oriri, diutius eos suspensos tenere noluit, sed causam eis dixit quia scriptum est (Zach. 13.) *percutiam Pastorem & dispergentur oves gregis*, hoc est, me pastorem vestrum percutiet Deus pater meus, & ubi percussus, captivus, ligatus, fuero dispergentur greges mei, Vos, o mei discipuli, fugam capietis, quia in eo tempore me pastorem amplius non profitebimini, sed me negabitis per fugam, & bene ait Propheta & Dominus ipse; *Ovis*: Ovis quippe est animal tam rude & indoctum, ut semel perditum nesciat invenire pastorem nec gregi se coniungere, quin, nisi requiratur, magis magisque aberrabit.

**T**alis, o Pastor bone, Ovis ego sum; erravi & erro quotidie a te sicut ovis que periit, & nescio redire ad te sine gratia tua, require ergo servum tuum Domine, maxime dum turbatus fuero passione aliqua vel nunc vel in hora mortis: maxime ob peccatorum recordationem, quæ, eheu nimis multa & gravia sunt. Succurre ergo mihi obsecro gratia tua, B. V. M. matris meritis, mitte Angelum & Patronum Tutelarem, qui me ad causam tuam reducat vel suggerat verba bona, verba scientiæ, bonitatis, disciplinæ, & sanctæ spei per merita tua ne dispergat a te, aut separet in æternum.

§. 36. *Postquam autem surrexero, precedam vos in Galilæam. v. 33.*

Hæc sunt verba illa consolationis quibus prævenisti o Christe, tristitia & terrore repletos discipulos ob tui discessum, nimirum ais: Modo sumus in Judæa, ubi me quærunt occidere, & sane occident, sed & ego resurgam occisus, & ita integer & vegetus ero, ut vos non occisos, nec verberatos præcedam in Galilæam, ut statim ibidem me & redivivam & gloriosum videatis, & præsentia dulci fruamini.

**D**omine dic & animæ meæ in hora mortis verba consolationis, scilicet Ego Jesus Redemptor tuus, resurrexi a mortuis ad vitam a mortalitate